

Si licet a parvis animum ad maiora referre
 500 Plenaque curvato pandere vela sinu,
 Pertinet ad faciem rabidos conpescere mores:
 Candida pax homines, trux decet ira feras.
 Ora tument ira, nigrescunt sanguine venae,
 Lumina Gorgoneo saevius igne micant.
 505 'I procul hinc,' dixit 'non es mihi, tibia, tanti',
 Ut vidit vultus Pallas in amne suos:
 Vos quoque si media speculum spectetis in ira,
 Cognoscat faciem vix satis ulla suam;
 Nec minus in vultu damnosa superbia vestro:
 510 Comibus est oculis alliciendus amor.
 Odimus inmodicos (experto credite!) fastus:
 Saepe tacens odii semina vultus habet.
 Spectantem specta, ridenti mollia ride!
 Innuet: acceptas tu quoque redde notas!
 515 Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis
 Spicula de pharetra promit acuta sua.
 Odimus et maestas: Tecmessam diligat Ajax!
 Nos, hilarem populum, femina laeta capit. [garem,
 Numquam ego te, Andromache, nec te, Tecmessa ro-
 520 Ut mea de vobis altera amica foret;
 Credere vix videor, cum cogar credere partu,
 Vos ego cum vestris concubuisse viris.
 Scilicet Aiaci mulier maestissima dixit
 'Lux mea' quaeque solent verba iuvare viros?
 525 Quis vetat a magnis ad res exempla minores
 Sumere nec nomen pertimuisse ducis?
 Dux bonus huic centum commisit vite regendos,
 Huic equites, illi signa tuenda dedit:
 Vos quoque, de nobis quem quisque erit aptus ad usum,
 530 Inspicite et certo ponite quemque loco!
 Munera det dives; ius qui profitebitur, adsit;
 Facundus causam saepe clientis agat;
 Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum:
 Hic chorus ante alios aptus amare sumus;
 535 Nos facimus placitae late praeconia formae: